Gastro-enteritidis expositio brevis secundum Theoriam, quam protulit Broussais

Dissertatio Medica

quam

Venia Exper. Fac. Medic. Lundens.

Præside

N. H. LOVÉN,

Med. & Ph. Doct. Med. Theoret. Prof. Reg. & E. O.

Pro Gradu Doctoris

Publicæ disquisitioni subjicit,

Auctor

G. LANDBERG,

Ph. Doct. & Med. Lic.

In Academia Carolina die XXVIII Martii MDCCCXL.

h. a. et. p. m. s.

LUNDÆ,

typis excudit Carolus F. Berling,

Universitatis Typographus,

MDCCCXL.

Qui ad ea, quæ sunt a Zoologis hujus ævi præstantissimis indagata, accuratius animum attendit, eidem luculenter apparet, tubum intestinalem partem organismi animalis gravissimam esse, omnesque omnium animalium impetus ad nutritionem, quæ naturam animalem præcipue constituit, spectare, quo fit, ut organa digestionis intimo societatis vinculo cum systemate nervoso conjuncta fint. Quantam vim ventriculum plenum vel vacuum, firmum vel infirmum animo atque corpori afferat, Physiologi ab antiquissimis inde temporibus ostendere conati sunt.

Hasce ab experientia comprobatas opiniones ad Pathologiam retulit *Broussais* ostenditque, hos ipsos effectus sympathicos, qui in unoqvoque infirmæ valetudinis statu irritabilitatem ventriculi significant, hoc organum esse morbo affectum designare, simul ac majori irritabilitate adaucti sunt. Quoniam interna ventriculi superficies maximam remediorum copiam absorbent, fit, ut systema gastricum medico gravissimi sit momenti. Præterea, teste eodem auctore, exsistit febris, licet e quocumque malo locali sit profecta, sympathica tantummodo irritatione in corde et in ventriculi intestinorumque membrana mucosa, quo fit, ut ad unumquemque morbum graviorem hæc accedat irritatio, ejusdemque decursum atque curam moderetur.

Quemadmodum quævis alia corporis humani pars, sic etiam ventriculus pariter ac intestina tam multifarie irritari possunt, ut morbus, in his partibus exortus, ob magnam illam vim, quam in cetera systemata vel in totum

corpus exercent, magnas præbere possit dissimilitudines, quæ tamen ad dispositionem subjecti sese accommodant.

Incommoda gastrica, febris gastrica, gastritis, quæ proprie sic dicitur, febris nervosa (fièvre ataxique), typhus etc., ut placet *Broussais,* nonnisi inflammationes in ventriculo et intestinis sunt habenda. 1) Hæc inter se discernuntur dispositione subjecti, ipsa vehementia & caussis morbi. Ceteris omissis ad ipsam Gastro-enteritidis secundum Broussais nosographiam & tractationem proponendam jam transgredi in animo est.

Hos morbos jam allatos appellat *Broussais* Gástro-enteritides, non ideo quod isdem irritationis gradus in organo adest, sed quoniam morbus e ventriculo, unde perpetuo fere originem ducit, in intestina transit atque etiam indicationes curae eædem funt, quodcumque demum horum organorum maxime sit morbo affectum.

Apud Græcos, Romanos atque Arabes, ex gr. ab *Hippocrate, Celso, Galeno, Avicenna,* inflammationes intestinorum sæpenumero commemorantur & morbos, in quibus aderant, vulgari nomine Dysenteriæ nuncupabant Græci. Recentissimo demum tempore suam protulit *Broussais* theoriam de Gastro-enteritide utpote proxima horum morborum caussa, cum tamen jam antea (anno 1767) *Louis* in epidemia quadam typhosa ulcerationes in intestinorum membrana mucosa invenisset, atque ea, quæ observaverat, eodem anno in actis Societatis Medicæ proposuisset. 2)

Qualiscumque autem specialioris indolis fuerit inflammatio stomachi, quoad decursum in acutam & chronicam subdividi consuescit, sic etiam nostro *Broussais* placuit. 3)

---

1) In libro suo, qui inscribitur: "Examen des Doctrines Medicales," proposltion de Medicine CXXXVIII legimus: "Les gastro-entérites aiguës, qui s'exaspérent arrivent, toutes à la stupeur, au fuligo, à la lividité, à la fétidité, a la prostation et representent ce qu'on appelle fiévre putride, adynamique, typhus etc.

2) Die Krankheits-Familie Typhus, von Eisenmann, pag. 334.

3) La Gastrite a deux formes principales: l'une aiguë & l'autre chronique; Histoire des

Phænomena, quæ Gastritidem acutam distiguunt, sunt: dolor atrox, ardens, fixus, assiduus ad scrobiculum cordis, quem levissima immaniter exacerbat compressio, nausea, vomitus dolentissimus, chymosus, tantusque stomachi erethismus, ut quævis ingesti, sive solidi sive liquidi, portiuncula illico cum violentia eructetur, regionis epigastricæ tensio et inflatio, anxietas præmagna, singultus, sitis inexplebilis cum frigidæ desiderio, qua ardoris intestini molestissimum sensum minuere student.

Gastritis chronica non raro adeo dolose delitescit, ut consuetis defecta signis, sagacioris quoque observatoris adtentionem effugere soleat, præsertim dum minus sensilis tunica villosa sedem morbi sistit. Ejusmodi latentis gastritidis effectus esse videtur emollitio ventriculi. 4)

Quod præsertim ad Enteritidem attinet, phænomena, quæ sequuntur, nobis lubet proferre. Apud omnes in media lingua sordidum tegmen variique coloris et in apice ejusdem partibusque lateralibus ruborem observabat, cujus intensitas a colore purpureo ad colorem igneum accrescit. Hanc ipsam marginis linguæ indolem certissimum maximeque perpetuum existimat *Broussais* irritationis gastricæ symptoma. Pulsus, qui in gradu leniori non immutatur, eo velocior fit et contractior, quovehementior inflammatio localis est. Temperatura cutis præsertim in regione epigastrica est adaucta et manui tentanti calorem mordacem affert, id quod ad signa hujus morbi pathognomica pertinet. Quemadmodum pulsus, sic plerumque sese habet calor, unde isdem cum illo decrescit vel accrescit. Nervi & præcipue cerebrum plus minusve atque dispari modo dolent. Ægrotus plerumque morosus est et impatiens atque cephalalgiam plus minusve vehementem conqueritur. Hæc symptomata ad maximum possunt erigi stuporem. Alias functio cerebri a levi perturbatione ad delirium cum furore conjunctum augetur. Tubus intestinalis ex-

---

Phlegmasies Tom. III pag. 33 & in libro suo: Examen, proposition CXXXII "Le Gastro-entérite se présente sous deux formes: avec prédominance de phlegmasie gastrique; avec prédominance d'entérite.

4) Histoire de Phlegmasies Tom. 3 pag. 34 & sequ.

tremitatesque mirum in modum consentiunt. Cum lenior est morbus, ægrotans sensum gravitatis quassationisque musculorum, & interdum vehementissimos atrocissimosque articulorum dolores conqueritur. Si morbus ad summum pervenit gradum, etiam symptomata sympathica increscunt, quum vel vis vitalis exhaustio exsistit, quæ debilitate & languore in systemate nervoso sese exserit, vel augetur ejusdem systematis efficacia, quæ eadem vehementissimis erumpit convulsionibus.

Varii Gastro-enteritidis gradus, teste Broussais, possunt in se invicem transire. Docet enim experientia, incommoda gastrica persæpe prænuntiare veram Gastritidem, febrim gastricam & nervosam, quæ eadem jamjam allata serie in ægroto haud raro oriuntur.

Transitus nullam singularis morbi permutationem constituunt. Ex omnibus e contrario symptomatibus liquet, idem malum organicum subesse & tantummodo in intensitate accrescere, unde majores secum fert perturbationes sympathicas. Quare qui symptomata in plures distribuerunt classes statueruntque, duos vel tres morbos in uno eodemque subjecto sese invicem esse consecutos, eosdem omnino falsam fovisse sententiam apparet.

Caussas Gastro-enteritidis in prædisponentes & efficientes distribuit *Broussais.* 5) Res externæ, quæ ventriculi membranam mucosam ad inflammationem, ut ita dicam, prædisponunt eæ sunt, quarum perpetua actio ad susceptibilitatem augendam spectet. Harum nonnullæ ex. gr. calor athmosphæricus, simul in totum organismum, aliæ vero directe in ipsam membranam mucosam agunt; hæ autem caussæ etiam affectibilitatem in ceteris corporis partibus secundarie augent, quid? quod, ut brevi præcidam, omnes Gastroenteritidis caussæ vel immediate vel mediate systema gastricum afficiunt. Ad illas pertinent sæpe iterata diætæ vitia, usus acrium atque irritantium alimentorum atque miasma. Ad has caussas calor athmosphæricus pertinet,

---

5) l. c. tom. 3. pag. 2 & segu.

qui sane proxime cutem et ventriculi intestinorumque membranam mucosam sympathice irritans afficit.

Potentiis, quorum actio mere dynamicis innititur legibus, adnumerari debet cibus utpote calidissimus, potus glaciatus vel ipsa glacies, æstuanti prius stomacho copiose affatimque ingesta, vel promiscua potus frigidissimi cum cibis calidis sorbitio, medicamina emetica, drastica, phlogistica & venena corrosiva. Organicis demum incitamentis accenseri merentur: Vomitus contumax & diuturnus, cardialgia sæpe recurrens, phlogoses organorum vicinorum intestinorum ad stomachum protensæ.

Benigna dum faventes circumstantiæ concurrunt Gastro-enteritidis resolutio sub consuetis phænomenis criticis succedere solet, urinarum utpote, sudorum, vel alvi secessu, quinta vel septima morbi die oborto.

Ii e contrario inflammationis, quæ in ventriculi intestinorumque membrana mucosa exoritur, casus, qui in statu acuto mortem adferunt, sunt: 1:o induratio quædam cum ecchymose conjuncta; 2:o variæ exsudationis varietates, quæ ad suppurationem omnino accedunt; 3:o exulceratio incepta; 4:o gangræna sphacelo plus minusve consimilis. 6)

In dijudicandis remediorum in morbum effectibus licet summa sit adhibenda cautio, quoniam receptivitas hominum tam variat, ut in uno eodemque morbo remedia quam maxime disparia haud raro summo cum successu adhibita sint, ex iis tamen, quæ e variis curandi methodis consequuntur, præsertim cum magna observationum copia comparatis, verisimiles depromi possunt ratiocinationes. Hoc fecit *Broussais* et experientia edoctus ostendit, antiphlogistica et aptissima & contra hos morbos esse efficacissima remedia, quibuscum aliæ curandi methodi, si vel prospere usurpatæ fuerint, ne comparari qvidem possunt. Usus remediorum corroborantium atque irritantium morbum reddit deteriorem, progressumque e gradu leviori in graviorem promovet.

Ex obductionibus cadaverum notitia de diversa horum morborum indole

---

6) l. c. tom. 3 pag. 73.

perbene erui potest. Signa inflammationis, quæ in his morbis in intestinis observatur, cum quoad externam ejus speciem, tum quoad indolem; vel naturam, plures præbent dissimilitudines. Cujus quidem rei scientia pemagni est momenti. Si morbus breve assumit tempus, ventriculum intestinorumque parietes ubique valde sanguine injectae reperiuntur, quid? quod vel in externa superficie insolitus cernitur color rosaceus, quum tamen nulla certo quodam membranæ mucosæ loco inflammatio conspicua sit. Ex his omnibus liquet, hisce organis, homine adhuc vivo, irritationem insitam fuisse, unde humores copiosius affluebant, quamvis nulla adhuc esset exorta inflammatio. Hic status facile compararetur cum eodem cerebri in iis casibus apoplecticis, quibus post mortem nulla exsudatio adest, sed tantum vasa cerebri sanguine extensa sunt atque impleta.

Id etiam observetur, si rubor in organo quodam post mortem permanebit, eundem longiori indigere irritatione, alias isdem unacum vita exstinguitur, quemadmodum rubor, qui labris vel nasi membranæ mucosæ inest. Hunc, de quo supra diximus, permutationis organicæ gradum consequitur, si morbus augetur, rubor membranæ mucosæ plus minusve auctus et deinde lividus ille vel niger ejusdam color, qui statum gangrænosum vel ipsam gangrænam denotat.

Ex iis, quæ jam allata sunt, elucet perspicaciorem perscrutationem caussarum, symptomatum exitusque ejus morbi, de quo in hac disquisitione præcipue quaeritur, varios variarum methodorum effectus ea esse fundamenta, quibus nixus est Broussais. Præterea observationes in obductionibus cadaverum factæ non modo naturam sed etiam sedem horum morborum demonstrant, quos auctores nomine febrium essentialium designant.

Generalis Gastro-enteritidis tractatio, in qua describenda præcipua, quæ hæc doctrina profert, attulimus, duabus niti indicationibus videtur: 1:o diminutione irritationis in iis organis, quibus eadem inest; 2:o restitutione vis vitalis, adhibita methodo derivante.

Remedia, quæ utrique indicationi satisfaciunt, sunt: parca diæta, potus diluti & aciduli, venesectio prompta, generosa et pro phlogoseos vehementia

sæpius repetita, siquidem ægrotus robustæ sit constitutionis, sin minus evacuatio sanguinis localis per hirudines, abdomini adplicatas. Hæc remedia, quæ assidue repetantur necesse est, si ab initio morbi adhibeantur, ad morbum tollendum ægrotumque paucis post diebus restituendum valent. Prosper successus, qui hancce a Broussais adhibitam methodum quotidie fere consequebatur, celer decursus et exoptatus morbi exitus, et contraria ratio, cum hæc methodus nullo modo adhiberetur, denique auctoritas *Sydenhami, Huxami* atque aliorum, quos protulerunt sæcula, excellentium medicorum impulerunt *Broussais* ad antiphlogisticam curandi methodum, utpote in his morbis aptissimam atque efficacissimam commendandam.

Emetica, quæ vel in hac nostra ætate in lenioribus malis gastricis usurpantur, inter remedia quam maxime periculosa refert *Broussais*. Etenim hinc fit, ut irritatio ventriculi augeatur, unde transitus, qui persæpe observatur, lenioris morbi gradus in graviorem promovetur. In casibus autem extraordinariis eadem adhibet *Broussais*. Quodsi debilitas virium, pulsus depressus et languor animi summum Gastro-enteritidis gradum designant, evacuationes sanguinis removeantur et interne remedia, irritationem lenientia atque externe derivantia e. gr. sinapismi & alia vesicatoria commode adhibeantur. Si dolore præcipue laborat cerebrum, calida semibalnea et in capite ægroti lotiones vel cataplasmata frigida adhibeantur. Ejusmodi curandi ratione systema digestionis, ipsa inflammationis sedes, numquam irritatur, congestionesque in quodcumque aliud organum averti possunt.

Quam jam brevi exposuimus, a Broussais prolatam, de Gastro-enteritide theoriam, eandem multi et defenderunt & obtrectati sunt. Nobis sane videntur, postquam obse rvationes morbosarum permutationum in intestinorum membrana mucosa magis magisque auctæ sunt, certa ulcerationum phenomena in pluribus morbis non diutius in dubium vocari potuisse, nervositatemque in febribus quibusdam magis magisque in angustiam redactam fuisse. Quæ cum ita sint, duæ omnino res in controversiam sunt vocatæ. Prima hæc est: Suntne in pluribus morbis acutis conformationes morbosæ in intestinorum membrana mucosa utpote Exanthemata existimandæ vel tantummodo ut inflammationes at-

que indurationes in glandulis *Brunnerianis* & *Peyerianis?* Plerique hujus ævi medici Gallici pariter ac nonnulli Germanici has conformationes vere inflammatas glandulas putant, quo fit, ut unusquisque specificus caracter omnium eorum morborum, in quibus ejusmodi glandulæ inflammatae observantur, abnegetur et palma Panphlogismo *Broussais* detur.

Altera litigandi quæstio hæc est: Suntne permutationes illæ, quæ in intestinorum membrana mucosa obveniunt, *secundariæ* i. e. plus minusve constantes, sœpenumero forsitan fortuiti febris effectus? Hanc posteriorem quæstionem Neuro-pathologis gravissimam videri, per se patet, quoniam a theoria, quam complectebantur, de febribus nervosis nullo modo desistere vellent. Quamvis nobis non incognitum sit, ipsos ejus assectatores hoc nostro ævo, e. gr. *Boisseau, Bouillaud, Piorry*, sese vidisse coactos ad hanc theoriam Broussaisianam valde circumscribendam, nos sane utra verior sit theoria, nihil statuentes, id tamen, quod vel acerrimi *Broussais* obtrectatores concedant necesse est, contendere non dubitamus, quemadmodum unaquæque theoria et unumquodque systema, ab homine ingenioso profectum — neque forsitan erit quispiam, qui ingenium *Broussais* abneget — scientiæ directe vel indirecte profuit, quoniam hoc systema animum ad certam Nosologiæ partem appulit atque eas effecit investigationes, quarum effectus sempiternum retinent pretium, si vel ipsum systema nonnisi in historia litterarum vigeat; sic etiam theoriam *Broussais* magnam habere auctoritatem in nosologiam Gastroenteritidis, atque ex hac ejus theoria, quæ jam viget de Typho abdominali theoria, quodammodo originem duxisse.